

PLINIUS, NATURALIS HISTORIA
18.235 ET 32.36:
DE MATUTINA ET VESPERA
DEQUE VOCABULARIO QUODAM

In Vocabularii Oxoniensis Latini (*The Oxford Latin Dictionary*) pagina 1086, sub uerbo *matutinus* (1b), ubi exempla huiusce adiectiui usus quasi aduerbialis („w. advl. sense“) enumerantur, praeter nonnulla e poetis prompta, ceu *matutinos pectens ancilla capillos* (Ov. Ars 1.367), hoc e Plinii *Naturalis historiae* libris productum est: *stella ... in pectore leonis occidit matutina* (Plin. Nat. 18.235). „Vsus aduerbialis“ significat scripsisse Plinium „stellā occidit matutinā“, quam *mane* seu *matutino tempore* occidere in animo haberet; prope ut est Horatii illud *nauus mane forum et uespertinus pete tectum* (Hor. Epist. 1.6.20).

Hoc ut uidi, talia in Plinio inueniri posse sane demiratus, protinus ad fontem. At ibi: *VIII Kal. stella regia appellata Tuberoni in pectore leonis occidit matutina et pridie Nonas Feb. Fidicula uespera*. Nullus ergo nominatius est „matutinā“ subiecto *stellā* „quasi aduerbially“ attributus, ut scriba Oxoniensis intellexisse uideatur, sed utrumque, *matutinā* et *uesperā*, ablatiui temporis loco est habendum. Et idem fere redit alias (Plin. Nat. 32.36): *et haec singulā et matutinā et uesperā dantur, dein post aliquot dies binā uesperā*.

Vtroque loco et *matutina* et *uespera* substantiua sunt euidētissima, error autem in uocabulario manifestus. Tamen, cum Plin. Nat. 19.183 haec: *his horae rigandi matutino atque uespera*, cumque in locis ceteris omnibus Plinius, ubi *mane* in animo haberet, ibi quoque *matutino*, non *matutina* scripserit,¹ utraque exceptio libris tradita (18.235 et 32.36 *matutinā*) corruptela grauari atque ideo emendanda uidetur. Quod iam olim Lodouicus Ianus fecit, cum editionem Teubnerianam anno 1859 emittendam curaret.

Warszawa

Konrad M. Kokoszkiewicz

1) Vel uno eodem libro exempla innumera, Plin. Nat. 18.234 (*matutino canis occidens ... delphinus matutino exoritur*), 18.248 (*suculae matutino exoriuntur*), 18.255 (*arcturus matutino occidit*), 18.262, 18.268, 18.269, 18.270 ... etc.